

**05**

**A**

**1215**



J

A

ex S

M.

CH

Ty



DISSERTATIO PHILOLOGICA,

De

JOSEPHO  
ARIMATHIENSI,

Quam

ex SS. Passionis Dominicæ Historia,

Antistite Deo,

PRÆSIDE

M. WILHELMO ERNESTO

TENTZELIO,

Thur.

Placidæ Eruditorum disquisitioni

subest

CHRISTIANUS HENRICUS Brömel/  
Arnstadia-Schvartzb.

*Ad d. VII. Aprilis M. DC. LXXXIII.*

*H. L. Q. C.*

---

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad, Typ.



05 A 1215



## Opitulante Deo!

I.  
**N**obilem Servatoris Jesu exequiatorem, Josephum Arimathiensem consideraturis nobis, patrium ejusdem solum inquirere incumbit. Frustranea e- quidem videri posset inquisitio illius, quod sacri sacratissimæ Historiæ scriptores uno ferè ore, sensu uno exprimunt, dum ab Ari- mathia Josephum nostrum describunt. Sed tamen haud exiguam penes interpretes deprehendimus discordiam, cujus rei si quæras causam, præter diversitatem nomine eodem insignitarum urbium, invenies nullam.

S. II. Non igitur fuerit incongruum annotasse quasdam terræ sacræ civitates, quibus idem hoc leviter saltem in nonnullis immutatum nomen, attributum fuit. Has verò omnium optimè notat Eusebius Cæsarensis in libro *ἑξὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων*, quem cum latina Hieronymi versione Parisiis edidit Jacobus Bonfrerius.

S. III. Alia namq; Rama est in tribu Asser Jos. 19, 23. usq; ad civitatem munitam Assyrorum, quod habet in versione Hieronymo, vel *Tyrum*, ut corrigit Bonfrerius. Alia Rama in tribu Naphta- him Jos. 19, 63. Ramoth alia in tribu Gad Jos. 13, 26. quam *ιερατι- κήν* Eusebius, Sacerdotalem Hieronymus, dicunt: nequicquam reluctante Bonfrerio. Eusebium namq; nullum agnovisse inter

Sacerdotales & Leviticas urbes discrimen, in aprico est: illud ve-  
ro tantum non est, ut impediatur, quò minus omnes Sacerdotales  
urbes dicam⁹ Leviticas, quanquam undecim saltem Leviticæ Sacer-  
dotum fuerint. Fuisse itaq; Ramoth Leviticam, Aſyli jure dona-  
tam, murisq; septam civitatem ex allegatis locis & Jos. 21. 38.  
abundè liquet: sed tamen variis postea hostium incurſibus ve-  
xata non minimam pristini splendoris partem amisit, adeò, ut æta-  
te Eusebii *κώμη* saltem seu villa extiterit. Celebris præterea A-  
rima sive Ruma, non procul ab urbe Sichem in tribu Judæ sita Jud.  
9. Abimelechi habitaculum, partisq; spoliatorum Davidis rece-  
ptaculum. Nec prætereunda Rama in tribu Benjamin Jud. 19.  
Jos. 18. quam ad septentrionalem plagam ad Bethel & Silo in tribu  
Ephraim sitas, sexto ab Ælia seu Hierosolyma lapide, cum Eusebio  
dicit Hieronymus. Sed & Saulis civitas audit ibidem, rationem  
subnectente Bonfrerio, fuisse non regiam Saulis sedem, sed patri-  
am, & Regiæ, quæ Gabaa erat, proximam animiq; causa à Saule  
sæpius frequentatam. Conf. Joh. Lightfootus Centur. Chorograph.  
Matthæo præmissa Cap. XLIII.

§. IV. At enim verò in urbibus hæcenus prolatis omni-  
bus, patriam Josephus noster haud invenit, aliò itaque migran-  
dum & quod quærimus, pernosendum erit. Ab Arimathia Jo-  
sephum denominasse Evangelistas, diximus supra; hanc verò civi-  
tatem Eusebius describit hunc in modum: *Ἀρμαθὴμ σιφά  
πόλις Ἐλκανά καὶ Σαμυήλ, καί ται δὲ αὐτὴ πλησίον Διοσπό-  
λεως, ὅθεν ἦν Ἰωσήφ ἐν εὐαγγελίοις ἀπὸ Ἀρμαθείας.* Hiero-  
nymi versio hæc est: *Armatha Sophim civitas Elchana & Sa-  
muelis in regione Tamnitica juxta Diospolim, unde fuit Josephus,  
qui in Evangelis ab Arimathia esse scribitur.* Eam verò cum  
dicta sit in duali *רמתי* in duas civitates sive partes divisam,  
observat B. Glassius Philol. S. L. IV. Tr. III. p. 760. Sed & alia  
forsan dualitatis possit dari ratio, ibidem à laudato Glassio allata,  
quod nomen *רמתי* duabus urbibus fuerit commune, quarum al-  
tera sita in tribu Benjamitica, in Ephraimitica tribu altera, ut expli-  
cante Lightfooto, sensus Textus sit talis: *erat vir quidam è Ra-  
mathaim, id est una è duabus Ramathis.* Sed ne incongruum  
hoc

hoc ipsum videatur, cum plures hujus appellationis urbes addu-  
 ctæ sint supra, laudati Lightfooti disquisitione facit Centur. Chor.  
 Cap. XLIII. cuius verba hic adscribemus: *Erat oppidum illud*  
*Samuelis Ramath Zophim; erat & hæc Benjamitica Ramath Zo-*  
*phim: Sed Etymologia ut videtur diversa: Illa fortè à Zoph Sa-*  
*muelis Abavo, unde regio ista sic dicta 1. Sam. 9, 5. hæc à Zophim,*  
 quem locum montanum Lightf. Cap. XLII. ex Josepho de bel-  
 lo Judaico lib. V. cap. 8. observaverat, inde Zophim dictum esse,  
 quod inde undiq; præsertim verò in urbem est prospectum. Hinc  
 itaque ex רמתי præposito הרייעה fit Haramathaim, unde  
 addita terminatione Græca oritur Arimathia. Conf. B. Gerhard.  
 Harm. Evang. p. 2059.

§. V. Sed adhuc illud obstare videtur, quod cum in tribu  
 Ephraim sita fuerit Arimathia, illam tamen πόλιν τῶν Ἰουδαίων vo-  
 cat Lucas. i. e. si Syrum interpretem audias, בית עמרם  
 & Persam بیت امرام civitatem Judæ. At verò neminem la-  
 tet, post captivitatem Babylonicam, Judææ Iudæorumq; nomen  
 latius fuit, illosq; adeò comprehendisse omnes, & à cæteris gen-  
 tibus distinxisse, qui religionem à Mose præceptam sectabantur.  
 Conf. Clasen. Exerc. S. ad Pass. Domin. Lib. III. cap. VII. Ma-  
 neat igitur sæpius dicta Arimathia, quæ præbuit Samuelis infan-  
 tiæ cunas, adultæ ætati domum & funeri sepulchrum 1. Sam. 25, 1.  
 communis cum Samuele Josepho nostro patria. Et hic noster  
 Josephus etiam fuit Samuel à Deo petitus, à sanctis mulieribus a-  
 liisq; Christi discipulis exoptatus ut sepulchrum Christi promove-  
 ret, prout non minus piè quàm egregiè docet Rector Academia  
 nostræ Magnus, Dn. D. Deutschmann / Præceptor & Patro-  
 nus meus ætatem devenerandus, in Meditationibus S. in Passio-  
 nem Dom. p. 209. seqq.

§. VI. Perspecto hætenus patrio Josephi solo, à fortuna  
 nunc & opibus eundem cognoscere, ordo jubet. Jam verò quem  
 πλούσιον dicit Matthæus, ευσχήμονα Marcus appellat. Quid igi-  
 tur, num divitem, quod Matthæus, num nobilem & honoratum,  
 quod Marcus innuit, num utrumq; Josephum nostrum dicamus?

Hoc equidem dicere consultum esset, nisi, primo quidem intuitu vox εὐσχίμων esset obstaculo, quam si non in se diversam habere significationem, in diversam tamen, tempore diverso tractam esse, constabit in posterum. Εὐσχίμων pro decoro, specioso, composito, non minus de persona quam de re, sive animata ea, sive inanimata, accipit Scapula in Lexico; εὐσχίμων καὶ καλὸς ex Luciano, εὐσχίμων ὑπόκρισις ex Plutarcho, exemplorum loco adducens. Sed magis accuratum, & ad nostrum scopum accommodatum Claudium Salmasium audiamus de Hellenistica pag. 101. Antiquiores, inquit, ἔ meliores Graeci εὐσχίμονα de honesto ac moderato viro dixere, idiotismus posterioris Graeciae pro divite, honorato ἔ in dignitate constituto, vocem eam usurpavit, ἔ sic intelligendus est εὐσχίμων Βελευτῆς in Evangelio Matthaei, de Senatore spectabili ἔ honorato vel divite. Phrynichus: εὐσχίμων τὸ μὲν ἀμαθεῖς ἐπὶ τῶν πλεσίων καὶ ἐν ἀξιώματι ὄντων τῶν πάντων, οἱ δὲ δεχταῖοι ἐπὶ τῶν καλῶν καὶ συμμέτρων. Hanc quidem vocem εὐσχίμων idiotae ponere consueverunt de eo, qui in honore constitutus est. Antiqui de honesto ἔ moderato. Et rectè vetus Interpres Latinus nobilem decurionem reddidit. Sine dubio ea notione quam notavit Phrynichus εὐσχίμων illius Interpretis etate sumebatur. Scio τὸ εὐσχίμων apud Paulum etiam pro honesto sumi, sed Paulus legerat Poetas ἔ Oratores antiquiores. Et praeterea non novum est, ut idem verbum aliter atq; aliter ponatur in diversis autoribus. Cum in uno eodemq; autore in diversa significatione plerumq; posita eadem vox legatur, ut apud Paulum εὐχαεστία pro gratiarum actione ἔ pro venustate vel urbanitate. De quo alibi. Sed melius forsitan εὐσχίμων apud Matthaeum pro divite accipitur. Nam ἔ Marcus in eadem Historia narranda πλεσιον Βελευτην appellavit. Εὐσχίμων idem quod πλεσιος. Cujus notionis haec ratio est. Σχήμα in idiotismo



tismo vestam denotat, unde  $\epsilon\sigma$  schema Plauto pro veste,  $\epsilon\sigma$ -  
 servilis schema. Hinc  $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu$  pro benè vestito  $\epsilon\sigma$  cui bo-  
 num schema. Tales ut plurimum ditiores, qui ex veste di-  
 gnoscuntur. Sed  $\epsilon\upsilon\pi\alpha\tau\epsilon\iota\delta\alpha\iota$   $\epsilon\sigma$  nobiles plerumq; splendidi-  
 us ornati. Quæ ratione  $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu$  nobilem potest denotare.  
 Hæc laudatus illustris Salmasius, qui utut de genuina vocis signifi-  
 catione accuratè disserat, halucinatur tamen in Evangelistis citan-  
 dis, ut collatio docet. Quà vocem verò  $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu$  cum eo fa-  
 cit Olearius in Tr. de Stylo Nov. Test. pag. 87, 88. Vnam adhuc  
 adducit ex Scriptura Sacra significationem Fesselius P. II. Advers.  
 sacr. in præf. §. 13. ostendens  $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu\alpha\varsigma$  dici religiosas mulieres,  
 quæ ex Ethnicis religionem Judaicam amplexæ fuerint. Act. 13, 50.  
 cap. 17, 12. quas ante  $\sigma\epsilon\beta\omicron\mu\eta\tau\alpha\varsigma$  dixerat Lucas cap. 13, 43. quasq;  
 $\text{ܣܘܪܝܝܐ}$  Syrus,  $\text{العرب}$  appellat Arabs.

§. VII. Quid igitur obstare putas, quo minus vocem  
 $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu$  non tam de moribus, quàm divitiis & opibus intelliga-  
 mus? Id verò tantò probabilius, quantò magis assentientes nan-  
 ciscimur Interpretes. Quem namq;  $\pi\lambda\upsilon\sigma\iota\omicron\nu$  &  $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu\alpha$  di-  
 xerunt Evangelistæ, mox  $\text{ܕܘܝܬܝܡ}$  divitem in Matthæo,  $\text{ܕܘܝܬܝܡ}$   
 mox, nobilem, in Marco, dicit Syrus. Arabs  $\text{ܕܘܝܬܝܡ}$  divitem,  
 $\text{ܕܘܝܬܝܡ}$ , decorum specie, venerandum.  
 Æthiops  $\text{ܕܘܝܬܝܡ}$  divitem, &  $\text{ܕܘܝܬܝܡ}$  ornatum, nobilem,  $\text{ܕܘܝܬܝܡ}$  poten-  
 tem Persa dicit.

§. VIII. Sic igitur divitias ac generis nobilitatem, per vo-  
 cem  $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu$  indigitatas, asseri poterit tutius; quandoquidem  
 si Textum inspicias, si voces,  $\epsilon\upsilon\sigma\chi\eta\mu\omega\nu$   $\beta\omicron\lambda\epsilon\upsilon\tau\eta\varsigma$  in sensu non  
 diviso, sed composito accipias, si verba Matthæi cum Marci verbis  
 conferas, de divitiis & nobilitate magis, quàm de moribus Mar-  
 co sermonem esse, ipse facilè colliges.

§. IX. Quin imò difficilius quidem vel ad Pilatum acces-  
 sum, vel petiti concessum expectare potuisset Josephus, nisi divi-  
 tia-

tia, nisi nobilitas ac munera (quæ cum Clasenio afferere liceat) ad illud viam parassent, hoc verò impetrassent. Sit licet, suspensi cadaver in ligno per noctem relinquerè, lege fuisse cautum. Deut. 21, 23. quod explicatum egregiè vid. à Schickard. in J. R. cap. 4. Th. 14. & Max. Reverend. Dn. D. Carpzov. in Notis: & proinde 'עובר בלא תעש' כל המלין את מתו *Quicumque mortuum pernoctare facit insepultum, violat preceptum prohibitivum, in genere de mortuo dictum. vid. Lightfoot in Matth. 27, 58. p. 499. adeoq; cum omnibus supplicii instrumentis sepeliendus suspensus, observante Schickardo l. c. Sit licet apud Romanos inhumanum iudicatum, si quis punitorum cadavera sepelire nosuerit. Ulpian. l. 9. de officio Procos. ita tamen ut cadaver puniti ab eo tantum iudice peti poterit, qui sententiam tulerat. Confer, Stelleri Pilatus defensus c. 14. Clasen. in Exerc. lib. III. c. 7. p. 245. Attamen ut taceam licuisse Regi diutius in patibulo relinquerè, quorum exemplis terrendus erat populus & ab invalescente scelere arcendus, תולה ומנחין תריוון ימים רבים להטיל אימה וְשָׁבַר יָד וְרַשְׁעֵי הָעוֹלָם suspendit & relinquit suspensos diebus multis, ut incutiat terrorem & frangat malitiam improborum in seculo: afferente ita Schickard. ex Maim. l. c. conf. & D. Carpzov. in notis: Quanta hæc ipsa, pia tamen Josephi audacia fuerit, explicat Lightfootus, qui postquam ex Sanhedr. c. 6. halac. S. attulerat: *Humatio interfecti à Synedrio non fuit in Sepulchro patrum ejus; sed duo sepulchreta erant parata à Synedrio, unum occisis gladio & strangulatis, alterum lapidatis, (qui etiam suspendebantur) & combustis. Pergit: Illic sepeliendus & more Jesus, ni Joseph piè audax à Pilato explorasset, ut honestius humaretur: quod vix præ ejus odio permisissent Patres Synedrii, si rogati: & tamen ab iis non negabatur honor funerationis eorum, qui ab iis sunt interfecti; si modo vilis sepultura in dedecus cederet ipsorum familia.**

Ipsi

*Ipsi mortuo in melius cedere arbitrabantur, si vitius tracta-*  
*retur post mortem; si non deplangeretur, si non bumare-*  
*tur, &c. nam ex vilificatione aliquid expiationis ei accerse-*  
*re somniabant. Et tamen, ne hinc vilesceret ejus fami-*  
*lia, ea rogante concessus est honor funebris. Quin imò Im-*  
*perator, Tiberius, maximâ crudelitate sat cognitus, damnatos, pu-*  
*blicatis bonis sepelire prohibuit, nec adeò propinquos ejus lugere*  
*concessit: vid. Corn. Tac. in Annal. Sveton. in vita Tiberii c. 61. p. 124.*  
*Quod ipsū facile quoq; comprobant verba S. Marci: ἐδωρήσατο τὸ*  
*σῶμα τῷ Ἰησοῦ, & confirmat Hieronymus: divitias, inquit, Jo-*  
*sephi commemorari, non quasi ipse à divitiis, vel Jesus à di-*  
*vite discipulo commendetur, sed ut ostendatur causa, pro-*  
*pter quam accessus ad Pilatum ipsi patuerit. Accedit ma-*  
*gna Josephi dignitas, quæ non minus magnas requirebat divitias.*  
*Assessor ipse Magni, quod Hierosolymis erat, Synedrii, quam*  
*dignitatem, nemo nisi divitiis, nobilitate & aliis requisitis in-*  
*structus impetrare potuit, quæ requisita exhibet D. Carpzov. in*  
*notis l. c. pag. 128. ex verbis R. Mikozi: יהיו מנוקים*  
*סכל מומי הגוף ויהיו בעלי חכמה בעלי עושר*  
*בעלי כשרים שירעו לבטל כישוף ויודעים בשבעים*  
*לשון שלא תהא סנהדרין שומעת מפי המתורגמן:*  
*Sunto immunes ab omni labe corporis; sunt sapientes,*  
*divites, prestigiatōres (saltem theoretici) qui sciunt presti-*  
*gias & incantationes amoliri, sunt periti 70. linguarum,*  
*ne opus habeat Synedrium audire ex ore interpretis.*  
*Quæ quidem omnia uberius tractat cum Schickardo D. Carpzov.*  
*l. c. Vorstius in dissertatione de Synedriis §. II. Seldenus de Sy-*  
*nedr. lib. n. c. 14. p. 544. aliq; quos citat prolixo syrmate Carp-*  
*zovius l. c. Ne verò κενόουενα saltem de Josephi opibus nos*  
*protulisse putes; ecce ipsos Historiæ salutiferæ scriptores, in-*  
*gentem, & pretiosum sine dubio Josephum possedisse hortum, in*  
*horto hortulanum aliosque aluisse commemorantes. Nec in-*  
*congruum fuerit alia præterea Hierosolymæ bona, & Arimathiz*

B

præ-

prædia Josephum possedisse, cum Magnif. Dn. D. Deutschmann  
 in Medit. supra laudatis p. 109 dicere: Constat igitur nunc vocis  
 εὐχρημον & significatio huic loco propria. Nec tamen quis cre-  
 dat, omnes adeo mores & honestatem Josepho nos denegare, quin  
 potius ἀγαθὸν καὶ δίκαιον qualē & unanimiter affirmant Interpretes,  
 יוֹסֵף הַצַּדִּיק, Syrus, Arabs صالح صواب. Ethiops  
 ገገሩ ገገግ constanter asserimus. Bonum erga Deum & homines.  
 Erga Deum quatenus fidem & pietatem suam abundē declaravit.  
 Erga homines, quibus beneficus fuit, suamq; erga illos liberalitatem  
 exercuit. Justum erga proximum, quem non defraudavit, nec ulla  
 affecit injuria, unde etiam non consensit consilio & actibus eorum,  
 qui Christum suaserant interficiendum: cum Glösenio, loco sapius  
 citato deprædicamus.

§. X. Dignitatem nunc Märtus innuit, quando eum dicit  
 βουλευτήν quæ vox à Scapula in Lexico sequentem in modum  
 exponitur: βουλευτής Senator, ut βουλευταὶ dicuntur Areopa-  
 gite à Luc. βουλευτικός apud Aristotelem Eth. c. 6. consultus, it.  
 Senatorius, ad Senatum sive ad curiam pertinens. Et hoc for-  
 sitan sensu decurionem vertit interpres Latinus, cum quo quoque  
 facit Ethiops מַשְׁכֵּן, Præfectum, officialem, à Rad. מִשְׁכַּן consti-  
 tit, vocem Græcam vertens.

§. XI. Sed antequam hujus aggrediamur solutionem, de  
 voce, Decurione prælibasse pauca, profuerit plurimum. Audia-  
 mus Jctorum celebrem Lexicographum Jac. Spiegelium in Lexic.  
 Jurid. decuriones appellari ceperunt Principes, sive capita cujus-  
 libet ordinis, & ordo ipse decuria vocabatur, ut decuria scriba-  
 rum, decuria cubiculariorum. Hic verò quod in genere dicit  
 Spiegelius, ad dignitates militares applicat Jo. Rosinus Antiq. Rn.  
 l. 10. c. 8. p. 1567. Præpositi sunt ii qui præfecti equitum, &  
 Decuriones vocati; ipsi quoq; Senatores, ita dicti à numero equi-  
 tum, quibus præerant. Verùm me non monente constat,  
 Latinum interpretem hos non respexisse Decuriones, aliam po-  
 tius vocis significationem attendentem, quam in curia videre est,  
 de qua Rosinus l. c. Senatores in coloniis ut & in municipiis de-  
 curi-

curiones vocabantur, eam ob causam, quia à Pomponio JC. at-  
tore decima pars eorum, qui deducerentur, publici consilii gratia  
sic solita conscribi. Quibus addit Spiegelius l. c. quod deci-  
mus quisq; ad hoc eligi solebat, ut aliis ibi praessent, sicut Sena-  
tores Romae. Quod si ad modernum Reipublicae statum appli-  
catam exoptes Decurionum rationem, ex asse, quod ajunt, satisfaciet  
laudatus supra Spiegelius l. c. quando scribit: *Hodie cum exemplo  
doctissimi Heliantri, cum Cl. D. Oldendorp. rectè appellaverimus  
Magistratus civitatum ordines Decurionum, quorum leges municipi-  
pales, quae & patria vocari possunt, vulgò statuta dicuntur. Quan-  
quam nonnulli Magistratus civiles, hodie non habent plenam juris-  
dictionem, certum tamen est, majorem eos habere, quam olim De-  
curiones civitatum habuerint.* Sed de his, quae de Decurione ha-  
ctenus prolata sunt, vid. ulterius Fabri Thesaurus cum notis Augusti  
Buchneri auctior nuper editus.

§. XII. Nunc igitur quid rei sit, quidq; ad nostrum faciat  
haec Decurionis sive descriptio sive appellatio, videbimus. Decuri-  
onem, quem per Senatorem explicavimus, Josephum dicit inter-  
pres Latinus. At verò nec de curia Praesidis, seu Pilati, quod Ly-  
rano videtur, nec Patriae Arimathiae Senatorem, prout nudè alii  
asserunt, fuisse nostrum, facile colligitur inde, quod prius non  
admittit Josephi timiditas in petendo Christi corpore, quam no-  
tat Marcus: *Τολμήσας εισηλθε πρὸς Πιλάτου καὶ ἠτήσαστο τὸ  
σῶμα τοῦ Ἰησοῦ.* quod optime expressit Lutherus: *der wagens/  
und gieng hin zu Pilato.* Quod si Josephus à consiliis fuisse  
Pilato, non meticolosius, sed majori certè confidentia desiderium  
suum exposuisset. Nec quod sciam, ex historia constat, Praesi-  
des Judaeae Romanos, curiae suae negotia, ob religionis odium,  
gentisq; contemptum, Judaeis commisisse. Sed quid de altera  
sententia? Haec si Josephum ita dicit Patriae Senatorem, ut salu-  
berrimis consiliis eam adjuverit & sublevarit, nostrum facile re-  
perit calculum. Sin autem more Romano per *βουλευτήν* decu-  
rionem intelligit, assentire possumus nequaquam, qui novimus ea  
aetate colonias in Judaeam à Romanis nondum fuisse deductas,  
sed ejusmodi hospitibus impermixtos patriam terram Judaeos  
inhabitasse.

§. XIII. Synedrii itaq; Assessorem fuisse Josephum asserti-  
tuto poterit, idq; eò magis: quod Assessores Synedrii βουλευταῖς  
dictos fuisse, planū fiat ex sequentibus, quæ adducemus ex Lightfooti  
Hor. Ebr. in Marc. c. 15 v. 43. p. 670. בולווי ל שון שרים  
denotat Principes. Verè quidē atq; hinc בולווי ופרנאי contradi-  
stinguuntur, Nobiles & viles. Hieros. Schabb. fol. 13. 3. At quare nō in-  
telligas Principes istos ac nobiles proprio sensu vocis βουλευταῖ, id est  
consiliarios? Nam quis non videt vocem esse græcam? Et sic ארוב  
הון יון שון ל שון יון הון vox Græca est. Nec est quod difficiliorem reddat  
vir doctus in subsequētib; vocis Græcæ rationem, quippe ea  
dari facilius poterit. Cum namq; Orientales plagas occupas-  
sent Macedones, quin imò rerum in iis poterentur: factum fuit,  
ut quamplurima Græcæ linguæ vocabula civitate donarentur E-  
bræa, aliave, atque à vulgo ut suæ linguæ propria usurparentur  
liberius. Exempla qui desiderat plura, consulat David Cohen  
de Lara in peculiari opusculo de convenientia vocabulorum Rab-  
binicorum cum Græcis &c. quod עיר רור inscripsit. Nec  
aliam ob causam interpretes retinent vocem eandem, vel substi-  
tuunt talem, quæ qua significationem, cum vocabulo Græco pa-  
ria faciat. Sic Syrus חכמה five חכמה, Persa  
چونلوط quem alibi dixerat چونلوط Arabs سكرت و لوت  
prædi-  
tum consilio, Æthiops חכמה sapientem.

§. XIV. Et exinde dictum puta בולווי לשכת conclave  
βουλευτων, ab Assessorebus nempe βουλευταῖς, quod illic à  
Sacerdotibus confessum, ac non iudicantibus sed consulentibus,  
idq; de rebus ac negotiis solūm templi. Consultum ac provisum  
illic est, ut præsto essent omnia ad cultum divinum necessaria, atq;  
ut ritè procederet liturgia publica. Lightf. in Matth. 26, 3.  
Marc. 15, 43. Appellatum quoque לשכת פרהרין ca-  
mera δεγεδων, supra conclave lignorum juxta atrium situm.  
ibid.

§. XV. Sed quæ hæcenus in scenam prolata sunt, Syne-  
drii,

drii, (strictè sic dicti) Sacerdotalis saltem Assessorem Josephum efficiunt nullatenus, nullatenus dignitatem ejus in Synedrio magno impugnant. Positio potius unius non erit remotio alterius. Sacerdotem illum fuisse asseritur eò facilius, quo difficilius, Synedrium Sacerdotale qua personas quoque à Magno fuisse diversum, statuitur. Ac habemus sanè Lightfootum confitentem: *fatemur quidem, Sacerdotibus fuisse proprium consessum & concilium: negantes tamen duplex fuisse Synedrium, pro rerum Ecclesiasticarum ac Politicarum diversitate; quod asserunt quidam.* Quin potius Synedrium Magnum, cujus **לגבי תבנית** lapidarium conclave dictum, ex Sacerdotibus fuisse collectum, ut semper partem Synedrii constiterint magnam, si non maximam, comprobante Lightfooto, asserimus. Accedit, ipsum Hierosolymitanum Synedrium dici **βουλευτήριον** à Josepho, quod testatur B. Waltherus in Harm, Bibl. in Exod. cap. 24. p. 221. q. d. *locum Senatorum, ubi Senatusconsulta fiunt.* Quin imò, quorsum illa Evangelistæ verba: **ἔτι ὅτι ὅσα ἦν συγκατατεθειμένον τῆ βυλῆ καὶ τῆ περὶ αὐτῶν,** cum ab illo, quod Sacerdotale dices, Synedrio, omnem judicandi potestatem, punitivam auctoritatem omnem, abfuisse, ipse notaverit Lightfootus, nisi Josephum septuaginta unius viralis Synedrii, assessorem asserimus.

§. XVI. Hactenus Josephi dignitas: pietatem ejusdem prolixè describere, hujus non est loci, præprimis cum à nullo facile vocetur in dubium; ac otium nobis fecerint Magnif. Dn. D. Deuschmann/in Meditationibus sæpius laudatis, Dn. D. Müller/vom leidenden Jesu/ D. Himmel. in Passionali, Clasenius in Exercitationibus sæpius citatis, aliique. Labet tamen alia nunc aliunde depromere, quæ si vera sunt, pietatem Josephi divinamque ipsi propterea impertitam tutelam, verè & ex abundantia demonstrare possunt. Illa vero Gregorius Turon. Lib. 1. Histor. c. 21. sic refert: *apprehensus Josephus in cellam includitur & ab aliis Sacerdotum Principibus custoditur, sed resurgente Domino, nocte parietes de cellula, in qua Josephus tenebatur, sus-*

*penduntur in sublimi, ipse vero de custodia angelo absolvente liberatur, parietibus in locum suum restitutus.* Sed Monachi fabulis addicti nimium, narrationem Turonensis emendatorem, quam mendaciorum dices non immerito, putidis, ut solent, gerris auctam, exposuerunt in libello, quem blasphemè sub titulo Novi Testamenti an. 1482. Augusta Vindellcorum ediderunt, exscribendam à nobis ex B. Mitternachs Hexadissert. de putidis Paparum fabulis. Verum

*Auditum admissi risum teneatis amici!*

Da dachten die Jüden / daß Joseph von Arimathia für Pilatum kommen was / und gebeten hätte umb Iesus Leichnam / und daß derselbe Joseph Christum Iesum so löblich lobet und begraben hätte. Und drum fingen sie Joseph / und legten ihn in einen Kerker / der was finster / und wohl bewahrt / und sprachen zu Joseph / du mußt umb dein nachfolgen / und daß du Iesum so löblich befallt hast / gemartert werden / und sterben. Annas und Caiphas bewahrten die Schloß mit ihren Siegeln / und behielten den Schlüssel / gaben auch Hüter zu den Kerker / daß er ihn nicht gestohlen oder genommen würde. Darnach kam Iesus zu Joseph seinen Knecht / der mit grossen Sorgen in den Kerker lage / und erschien ihn durchleuchtiglich / und fürt ihn daraus / daß nie kein Stein noch solches Ding verrückt ward / und fast ihn gen Arimathia / darnach ward er (Joseph) aller Sorgen frey. Er was durch ihn gefangen / drum löst er ihn billig. Und da die Nacht vergieng / da wolten die Jüden Joseph aus den Kerker nehmen / und wolten ihn gemartert haben / und getödtet haben als Christum. Und schlossen die Schloß mit den Insiegeln auff / und trun gen fast in den Kerker / da sahen sie einen Brunnen in den Kerker / der was nimmer da gewest / darinnen hätte Chris



Christus Joseph getaufft/ nach der neuen ee. Joseph  
den finden sie nit: des erschrecken sie gar sehr/ und sprac-  
hen/ es wäre mit Zauberey geschehen/ u. s. w. Sed  
puer fabulis gerris Siculis vanioribus implere pagellas, his  
namque vel unicam veritatis inesse micam, epiphonemati suo,  
quod subjicit monachus audacissimus: wiewohl es in den  
Evangelio nit geschrieben ist/ so ist es doch also; nunquam  
efficit.


§. XVII. Vltorius vitæ Josephi curriculum enarrare ani-  
mus erat, sed tamen certi quid invenire haud licuit. Non e-  
quidem desunt, qui leviter insipienti rem exasse, quod dicunt,  
tractasse videantur. Fideli ardenti pietate pectore, Christi disci-  
pulo Josepho, dispersis per totum terrarum orbem reliquis Chri-  
sti asseclis, Salvatoris de prædicando omni terræ Evangelio, man-  
datum curæ cordiq; fuisse, asserunt. Nunc eum, Lazaro, Maria  
Magdalena, Martha, Marcella & Maximino, comitibus, urgente  
ita vel Herodis, vel Judææ regionis Præsidis, vel Judæorum  
denique persecutione, sine navi, sine remigio item, periculum in  
mari subiisse & Massiliam appulisse; nec ibi Josephum nostrum fixam  
invenisse sedem, hinc ex Gallia navigasse in Britanniam, referunt.  
Nunc à Philippo Apostolo XII. in Britanniam ablegatos fuisse  
Apostolos; in his primarium Josephum Arimathensem, illos ibi  
Christum annuntiasse. Enarrant porro, quod ab Arvirago pa-  
ganicis deliriis indulgenti Rege, insulam sylvis paludibusq; cir-  
cumdatam, dictam Glasconiam prope oppidum Welliam sitam acce-  
perint. Insula duodecim Hidarum portionem continuit. Hida verò  
tanta terræ portio est, quanta quidem ad familiam alendam suf-  
ficit, vel quæ unico per annum coli potest aratro. Ibidem Ca-  
pellam virgis torquatis connexam extruxerunt primum, mox  
monente Gabriele, Archangelo, S. Mariæ sacrum templum con-  
diderunt, monasticæ familiæ cœnobium erexerunt; & præterea  
multa, sed egregia sui monumenta, in valle Avilonis Josephus  
reliquisse fertur. Sed tamen incertam satis de Josepho relatio-  
nem ipsi innot innuunt auctores, quam *traditionem* modò, sed ta-  
lem

lem, cui aliqui utcumq; faveant auctores; Gallia Christiana  
Tom. I. p. 2. modò ex Glastoniensium Monachorum lacunis hau-  
stam. Jacobus Vsserius pag. 15. Antiq. Brit. Quid dicam de admi-  
randa sine navi, sine remigio navigatione. Quid de Michaelis  
Archangeli apparitione dicam? Hæc scilicet omnia Monacha-  
lem sapiunt fabulam. Nec minus à tot, iisq; præcipuis Christi  
Apostolis, frequentata primo Christianæ religionis seculo, Britan-  
nia, scrupulum alicui injicere posset. Confer. Kempii Biblioth.  
Angl. Theol. in præf. Ottii examen perpetuum in Cæs. Baro-  
nii Card. annales, ad an. 35. §. 2. 3. an. 44. §. 25. Addimus  
censuram Centuriatorum Magdeburgensium Cent. 2. lib. 2. p. 7.  
*Quis fuerit, ajunt, qui primum in Britannia Evangelium  
docuerit, non satis liquet. Illud certè à veritate non alie-  
num videtur, eam Ecclesiam initio à Grecis, sive Orien-  
talibus Doctõribus, non autem Romanis sive Occidentalibus  
plantatam fuisse: Græcosq; eò ritus ac ceremonias, qua-  
lescumq; initio fuerint, transtulisse.* Vid. B. Dannhaver,  
Dram. S. Phœn. III. p. 135. §. XIX. Sed huc usque Josephum cujus in S. S.  
Passionis historia facere historiam indignum non æstimarunt  
sacri Scriptores, consideravimus. Ille cum dignitate tan-  
ta, tanta rerum mundanarum facultate, ut ampliores redderet  
divitias, divitias neglexit: nisi verò minus opes amasset, tantas  
assecurus esset nunquam. Sed mirum à divite, quod magnum,  
à Judæo, quod majus, à Synedrii assessori, quod maximum, illi  
parari funus, qui cum esset infra pauperes, supra divites ferè se-  
pultus, illi qui quot Judæos, tot contemtores aspiciebat, qui quot  
locorum incola, tot exul, sepulchrum concedi honestum, sed  
proprium, sed novum; illi qui quot Synedrii assessores, tot jam  
inimicos, jam hostes, nanciscebatur, tanta eum cura ultimum ex-  
hiberi à Synedrii assessore honorem. Sed adhuc aliud in hoc  
latet mysterium, in horto quod primitus amissum, jam reddi in  
horto, in arbore quod peccatum, lytrum illius reddere arborem  
in horto plantatam. Sed satis est, nunc igitur

GLORIA DEO.







DISSERTATIO PHILOLOGICA,  
De  
**JOSEPHO**  
**ARIMATHIENSI,**  
Quam  
ex SS. Passionis Dominicæ Historia,  
Antistite Deo,  
PRÆSIDE  
**M. WILHELMO ERNESTO**  
**TENTZELIO,**  
Thur.  
Placidæ Eruditorum disquisitioni  
sistet  
**CHRISTIANUS HENRICUS Brömel/**  
Arnstadiæ-Schwarzsb.

*Ad d. VII. Aprilis M. DC. LXXXIII.*  
H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad, Typ.